e-codices

CRux super humeros imponitur ut tropheum quod siue symon
siue ipse portauerit et xpc in homine et homo portauit in
xpo. Nam discordant euangelistarum sententie quando concor
dat mysterium. Et bonus ordo nostri profectus ut prius crucis sue tropheum
erigeret deinde martyribus traderet erigendum. Non iudeus est qui cru
cem portat sed alienigena atque peregrinus nec precedit sed sequitur iuxta quod
scriptum est tolle crucem tuam et sequere me. Non enim suam sed nostram crucem
xpc ascendit nec mors illa diuinitatis sed quasi hominis fuit. Vnde et i
pse ait: Deus deus meus respice in me quare me dereliquisti. Pulchre ascensu
rus crucem regalia uestimenta deposuit ut scias quasi hominem passum esse
non quasi dominum regem. Et si utrumque xpc quasi hominem tamen non quasi dominum cruci esse
suffixum. Sed milites non iudei sciunt quo tempore gloria xpo uestimenta eue
mant iudicio quasi uictor assistit ad passionem tamen quasi reus humilis
uenit. Hunc quoque trophea iam uidimus currum suum triumphator ascen
dat. Non arborum truncis aut quadriiugis plaustris manubias de mor
tali hoste gestatas sed patibulo triumphali captiua de seculo spolia suspen
dat. Non hic reuinctis post tergum brachiis gentes nec excisarum urbium
imagines oppidorumque captorum simulachra cernimus aut submissa ca
ptorum regum colla miramur qualis humanorum solet esse species triumphorum.
nec uictorie terminos regionis fine distinctos sed ouantes populos na
tionum gestatos non ad supplicium sed ad premium. reges liberis affectibus adoran
tes uoluntariis urbes studiis deditas et in melius reformatas imagines
oppidorum quas non fucus expresserit sed deuotio colorauerit. Fidei arma ui
ctoriarumque iura toto orbe currentia. captiuum principem mundi et
spiritalia nequitie que sunt in celestibus obedientia impio uocis humane
subditas dominationes uariarumque uirtutum species non sericis sed mo
ribus emicantes. Fulget castitas. fides splendet. et induta mortis ex
uuiis deuotio fortitudinis iam resurgit unus dei triumphus fecit omnes
xpe iam homines triumphatores crux domini. · C ·

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%20319 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%20319)